SAMMELHANDSCHRIFT MIT ORDENSSCHRIFTEN DER AUGUSTINER CHORHERREN
Dürnstein, 3. Viertel 15. Jh. und 1507

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=5639
Copyright: Herzogenburg, Augustiner-Chorherrenstift

cohercere. Nec vos iudicetis esse maliuolos:
quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes
non estis: si fratres vestros quos indicando corrigere
potestis tacendo perire permittitis. Si enim frater
tuus vulnus haberet in corpore quod vellet occultare
cum timeret secari: nonne crudeliter a te sileretur
et misericorditer indicaretur. Quanto ergo potius
debes eum manifestare: ne perniciosius putrescat
in corde. Sed antequam aliis demonstretur per quos
convincendus est si negaverit: prius preposito debet
ostendi si admonitus neglexerit corrigi: ne forte
possit secretius correptus ceteris non innotescere.
Si negaverit tunc aliis adhibendi sunt testes:
ut iam coram omnibus possit non ab uno teste
argui: sed a duobus vel tribus convinci. Con-
victus autem secundum prepositi vel etiam presbyteri ad cuius dis-
pensationem pertinet arbitrium: debet emen-
datoriam subire vindictam. Quam si ferre non
voluerit: etiam si ipse non abscesserit de vestra
societate proiciatur. Non enim et hoc fit cru-
deliter sed misericorditer: ne contagione pestifera
plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non
figendo etiam in ceteris inveniendis prohibendis
indicandis convincendis vindicandisque peccatis
diligenter et fideliter observetur: cum dilectione hominum
et odio vitiorum. Quicumque autem in tantum progressus
fuerit malum: ut ab aliquo occulte literas
vel quelibet munuscula accipiat: si hoc ultro